

No. 182. 1295. 22. Apr.

*Markgraf Friedrich I. befiehlt seinem Voigt zu Grossenhain das Afrastift in den ruhigen Besitz des vom Kloster Seuslitz streitig gemachten Waldes bei Radewitz zu setzen.*

Fridericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio et Saxoniae comes palatinus omnibus praesentes litteras inspecturis in perpetuum. Cum nonnunquam propter temporum varietatem et decursum actiones humanae varientur et penitus evanescant, necesse est et salubri provisum consilio, ut ea quae ab hominibus rite et rationabiliter aguntur, ne in oblivionem futurorum perveniant, perpetuationem recipiant testimonio litterarum. Notum igitur esse volumus —, quod cum canonici regulares et praepositus sanctae Afrae in Misna ex parte una et procuratores sanctimonialium in Suselytz nomine dictarum sanctimonialium ex parte altera coram nobis in Hain super quadam silva in Raschewyzt sita prope Suselytz litigassent, et ex parte dicti praepositi et canonicorum regularium quoddam produceretur privilegium felicitis recordationis quondam domini episcopi Th. et capituli ecclesiae Misnensis, per quod evidentissime docebatur et probatum fuit, dictam silvam cum quodam allodio et aliis bonis a dicto domino episcopo et capitulo dictae ecclesiae Misnensis in dictum monasterium titulo proprietatis translatum cum omni iure et honore ac utilitate, quibus praedicti dominus episcopus videlicet et capitulum Misnense dictam silvam cum ceteris bonis praedictis possidebant, ex parte vero monasterii in Suselytz nihil probaretur nec ius aliquod produceretur, per quod dicta silva ad ipsas pertineret, sed quaedam assertio et narratio facta fuit, quod ipsis ab avo nostro piae memoriae illustri quondam domino Heinrico Misnensi et Orientali marchione esset dicta silva donata, nullam aliam probationem super iure suo penitus facientes. Nos igitur considerantes et audientes nos esse a praefato domino praeposito et canonicis sanctae Afrae plenissime instructos, quod proprietates dictae silvae ad ipsos pertinet et non ad sanctimoniales memoratas, advocato nostro Heinrico de Thechewyzt dedimus in mandatis, ut sicut de facto et non de iure dictae sanctimoniales in Suselytz dictam silvam in grave animarum suarum dispendium possiderunt, sic ipsas amoveat et dictum praepositum et canonicos regulares inducat in possessionem pristinam, a qua per dictum avum nostrum fuerant eiecti et amoti minus iuste. In cuius rei evidens testimonium praesens scriptum dari fecimus sigilli nostri munimine roboratum. Testes huius sunt Reinhardus de Hersuelde, Fritzsco de Zkassowe, Johannes de Zkassowe, Cunradus de Cemin milites, Theodericus de Vrankenberc et Heinricus frater eiusdem, Theodericus de Sebenyzt, Cunradus de Paperzan et quamplures alii fide digni. Datum in Hain anno domini M°.CC°.LXXXV°. X°. kal. Maii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Reitersiegel an einem Pergamentstreifen.